

qui legis cognitionem aut nullam habent, aut magnis impijsque deprauatam erroribus: qua de re satis multa dixisse videmur Libris superioribus. Non animaduvertere autem, qui etsi legem utcumque cognitam habent, eam tamen ad faciendum suarum actionum, studiorum cogitationumque examen non adhibent. tanquam qui speculum haberet ille quidem, verum haud introspiceret: proptereaque maculas quas haberet in facie minimè cerneret: aut si adhibent: adeò depruato, nulloq; in eo utuntur iudicio, ut quales sint in suis actionibus videre nequeant. Què admodum si quis proponeret quidè sibi speculum: sed cum corrupto vteretur videndi sensu, videre suas maculas non posset.

Vt qui legem cognitam habent, eam ad iudicandum de suis actionibus non adhibeant: id pluribus de causis potest contingere. Præcipuaque illa est, quòd in rebus alijs occupati hi quidem suis voluptatibus, illi in suis mercaturis, alij in querendo suis manibus victum, alij in humanarum literarum studijs: quini- mò etiam diuinarum (ita videlicet contem- plationibus dediti, ut quis earum esse vsus de- beat obliuiscantur) alij occupationibus alijs districti haud sumunt sibi tempus ad facien- dum suæ vitæ examen, eamque ad diuinæ le- gis normam exigendum. Alij hoc examen prætermittunt: quia tantum iam profecisse sibi vi.